

«QUID ET QUOMODO CUM DISCIPULIS MIHI COTIDIE AGENDUM?»  
 DE SCHOLIS AD MODUM ATQUE EXEMPLAR NOVARUM RATIONUM  
 DOCENDI APTANDIS ATQUE FINGENDIS

MARÍA LUISA AGUILAR GARCÍA

COLLEGIVM LATINITATIS

[mlaguilargarcia@hotmail.com](mailto:mlaguilargarcia@hotmail.com)

**Resumen**

Quantum operae ac temporis in novis rationibus docendi ad scholas Latinas aptandis a nostris collocatur, id volumus levare brevibus ac perspicuis praeceptis propositis ad scholam strictim pertinentibus, atque iis cumprimis sumus innixi quae ad structuram ipsius scholae pertinere possunt eo modo inchoatae ut non sit lectio grammaticae principium ac finis totius praeceptionis sed ut ratio eius habeatur tamquam una ex variis exercitationibus quae ad linguam experiendam numerantur. Consilia igitur praebentur ad lectionem Latinam feliciter ineundam, ad argumentum lectionis eiusque verba firmiter tenenda, ad inchoandam grammaticam eamque prospere elaborandam.

**Palabras clave**

*Novae rationes docendi, principia doctrinae, structura scholae, exempla exercitationum, beneficia discentibus*

**1. Brevis praefatio**

Est nostra aetate curae atque diligentiae multorum institutorum, sive privata sint sive publica, quae subsidia magistris provehenda curant<sup>1</sup>, ut offerantur quotannis sat multi cursus et seminaria ad novas rationes docendi inter magistros linguarum antiquarum

---

<sup>1</sup> Adibis situm CEFIRE vel alia instituta sub nomine CEF indita, vel consociationes ut *Culturaclasica.com* et *Collegium Latinitatis*, ut de iis seminariis diligenter docearis.

divulgandas. Quoquo nos vertimus, ubiubi sumus, sive intra fines nostrae civitatis versantes, sive peregre errantes, unus atque idem videtur esse mos, ac magistri eo impelli, vel instari videntur ut linguas antiquas aliunde aggrediantur aliterque experiantur. Non enim frustra, non irritum tempus persuasionis praeteritum est, illud scilicet tempus cum oratores undique arcesserentur, cum orationes passim haberentur, cum symbolae scriberentur innumerae, immo cum harum rationum experti coram stupentibus, tenacioribus, diffidentibus monstrarentur earum emolumenta ac beneficia prae se ferentes.

Quae emolumenta non desinunt audiri et semel atque iterum revocari in cursibus atque seminariis huius naturae. Est harum rerum memoria quae non solum non noceat sed prosit et remissioribus et promptioribus qui hanc viam emetiendam susceperunt, cum animum sentiant renovatum ac refectas vires. Namque solacium haud spernendum illis omnibus reportatur atque quaedam fida coniunctio nascitur alios magistros contemplantes similiter periclitatos, alia exemplaria, alia monumenta, recordationem denique illorum errorum repetentes. Habent enim hi cursus aliquid levaminis vel gratissimum participibus qui, auribus datis alienae fortunae, curis animum exuunt atque in suscepto consilio corroborantur. Quid hae novae rationes docendi promittant non est consilium hic explorandi: quarum originem et fundamentum sunt vel saepe legentibus iterata atque probe nota; quibus in rebus hae ab illis trallaticiis rationibus linguarum antiquarum docendarum discedant, non est animus hic in totum perstringendi, quod multum temporis, multum operae postulet. At duo exstant principia harum novarum rationum quae quidem animo meo rationibus trallaticiis iam averso, nondum vero oblito, robur praestant atque haesitanti ei undecumque persuadent, utique renovant: ea velim, oblata coram legentibus occasione, peculiari luce collustrare.

Alter eorum spectat ad habitum animi linguam ineuntium atque ad praesidium quod homines sibi imponunt aliquid novi, aliquid inusitati vel inauditi primo temptantes. Cui animi<sup>2</sup> praesidio momentum haud leve tribuitur ad linguas discendas: agitur enim de scrupulo quodam, de naturali sollicitudine et angore animum vexanti, quo deminuto atque levato, perceptio linguae citius ad effectum perveniet. At haec animi munitio tam humana est quam discentibus incommoda, non est igitur res quam praeceptores

---

<sup>2</sup> “Affective filter” (Krashen 2013: 4)

linguarum parvi facere possint, quam negligant ii quibus in animo est linguam quamcumque hominibus tradere<sup>3</sup>: animus igitur discentium ex necessitate sedandus est, quod facile iis obveniet quorum voluntas discendi libera et firma est, facile iis eveniet qui discendo sibi confisi sunt, iis qui discendo voluptatem acceperunt.

Ad quae consilia nullae methodi, nullae rationes aptius facient quam eae quae novae vocantur, primum quod doctrinam linguae a fundamentis vel prioribus ordiuntur et haud *magnis itineribus*, ut tunc promittebatur, sed pedetemptim in doctrina linguae progrediuntur, dum fiduciam sui discentibus confirmant; deinde, quod linguam ipsam per se atque in se<sup>4</sup> sinunt experiri, eamque sentire atque usu tractando cognoscere, non ut alienum aliquod nobis extrinsecus obiectum, quod more medicorum vel scientificorum inspiciendum, in partes secundum, describendum est, sed tamquam aliquid nobis subiectum atque ad nos pertinens, quod manibus, vel potius ingenio ac mente possumus contere, quo familiariter utimur atque fruimur.

Sed haec familiaritas, haec consuetudo linguae obtingi non potest nisi omnes eius facultates tractantur, nisi lingua in totum monstratur atque splendet, nisi enim lingua legitur, auditur, scribitur, dicitur. Quod ut adipiscantur discentes, ad secundum principium hic propositum spectandum est, scilicet ad copiam linguae<sup>5</sup> quae discentibus praebetur, quae enim quo maior, quo copiosior atque frequentior evadit, eo arctior discentibus usus, eo uberiores doctrinae fructus. Volentibus igitur linguae adsidere atque in eam incumbere non suppetent paradigmata declinationum, neque solutae sententiae aliunde excerptae, sed monumenta linguae quam amplissima quamque simillima vero, per quae possint discentes linguam ipsam percipere, his solis acceptis condicionibus, ut sint illa monumenta discentibus delectamento atque eorum studium movere possint<sup>6</sup>; ut sint ad eruditionem discentium satis accomodata atque eius naturae ut eorum doctrinam modo leviter excellent<sup>7</sup>.

---

<sup>3</sup> Bailey (1).

<sup>4</sup> Patrick (2011:4)

<sup>5</sup> *Input* (Van Patten 2015: 38)

<sup>6</sup> Krashen (2013: 3)

<sup>7</sup> Quod Krashen (2013:4) dicit I+1, scilicet unum gradum (*level*) supra doctrinam discipulorum ad praesentia.

## 2. De scrupulis praeceptorum

Attamen moderanti mihi novissimis temporibus nonnulla ex iis seminariis, nec minus saepe partem horum tironis instar suscipienti, duae occurrunt continenter cogitationes, vel dicam sollicitudines quae, quasi lapilli calceis iniecti, voluntatem incipientium remorantur, distinent et, quod nulli esset cordi, abscidunt etiam atque abrumpunt. Quarum altera ad facultatem expedite loquendi attinet immaturam, torpentem, nondum consumatam, quam velimus enim ad exemplar Minervae oriri omnibus opibus atque facultatibus ornatam, quam nisi volubilem atque ultro fluentem temptare recusamus; altera vero pertinet ad ordinem rerum in scholis cotidianis instituendum et servandum, cum sentiamus trepidare nos, ex tempore agere atque consilia omnia subito aggredi summotis firmissimis illis fundamentis quibus sustinebamur casus, declinationes atque coniugationes rite atque ad regulam explanantes.

De priora illa cura quae ad facultatem ex tempore dicendi spectat, alibi erit locus consilia praebendi: eam enim possunt volentes sic ut nusquam in reti omnium gentium<sup>8</sup> sibi ditare. Satis sit praeceptores commonefacere quam sint multa in facultatibus linguae augendis officii nostri beneficia, imprimis tria: primum, quod cotidie nobis praebetur occasio linguae exercendae, cum scholas Latinas cotidie tradamus. Namque non multum differt utrum usum linguae intermittas an omittas, nam res est quae continuationem postulat, ut in quavis arte nuper inchoata<sup>9</sup>; tum, quod usus linguae satis in scholis constringitur atque in condicionibus haud insolitis evenit, cum sermones ultro citroque habeantur de consuetis rebus ac notis, et iussus atque praecepta nulla non die discipulis similiter repetantur; postremo, quod ad exercendam artem datum est praeceptoribus theatrum imperitorum, quorum insciae aures eloquentiam nostram rudem haud severe iudicabunt. Est haec postrema condicio quae nos non ad negligentiam atque ignaviam in facultatibus linguae concinnandis ducere debeat, sed quae sinat praeceptores sibi indulgere hanc artem nondum proficientibus.

---

<sup>8</sup> Enixe commendatur situs a Daniel Petterson constitutus [www.latinitium.com](http://www.latinitium.com)

<sup>9</sup> At nos felices, quibus octonas, immo undenas occasiones, scilicet scholae Latinae, singulis septimanis dantur.

Attamen cura nobis praecipua ad ordinem scholae instituendum ac servandum hic spectat, cum multos teneat opinio scholam linguae e manibus praeceptoris elabi, defluere atque praeceps excidere quippe quae nihil firmitatis, nihil ponderis, nihil habeat gravitatis si lectiones grammaticae non inde ab initio et quasi fundamentum totius scholae cum primum considerantur. At communis illa opinio a vero quidem distat, primum quod rationes docendi novae non summovertunt grammaticam procul ab schola linguae Latinae, sed in locuum suum alia substituerunt eique aliud momentum ac tempus dederunt; deinde quod principia doctrinae manent quibus observatis structura scholae non minus firmata evadet, non minus solida, praeceptor denique non minus prudens, non minus providus coram discentibus apparebit. Proposita hic ratio partes quattuor in schola linguae Latinae observabit easque per diversas exercitationes et usus explicabit, quibus opportune ordinatis lingua Latina per se atque in se discentibus exponetur: 1. legere et intellegere monumentum aliquod linguae Latinae; 2. argumentum monumenti eiusque cognitio confirmare; 3. vocabula corroborare; 4. grammaticam attingere.

### **3. De schola quadrifariam divisa**

#### **3.1. Legere et intelligere**

In novis rationibus docendi operam ponentibus est lectio alicuius fragmenti Latini non solum initium atque meta sed etiam fundamentum, ne dicam ‘cardo’, totius scholae<sup>10</sup>. Neque agitur, ut iam monuimus, de solutis sententiis vel vocabulis excerptis, sed de fabella aliqua vel quocumque litterarum monumento, cui sit prae ceteris rebus argumentum certum, plenum, integrum; quod studium discentium, si non excitet, valeat saltem allicere atque ad eorum curiositatem pertineat; cuius magnitudo vero, ad opinionem praeceptoris atque ad indolem discentium vel condicionum doctrinae redditur; cuius autem difficultas, a doctrina pendeat qua sint illi praediti, hoc uno scrupulo servato, quod ab scientia discentium tenuiter tantum discedat. Tali scripto discentibus proposito, ad exspectationes respondebimus novarum rationum modo consideratas, cum copia linguae discentibus afferatur sat ampla, sat iucunda atque eorum doctrinae apta; cum discentium angores atque haesitationes summoveantur praeceptoribus gradatim incipientibus atque oblectamentis indulgentibus.

---

<sup>10</sup> Alcalde-Diosdado (2000: 112)

De electione vero huius fabulae vel fragmenti paucis dicendum est: nam nostris temporibus et utique intra fines nostrae civitatis exercent suum imperium libri *Familiae Romanae* vel methodus quam Ørberg egregie confecit *Lingua Latina per se illustrata*. Nimirum horum librorum nomen longe lateque manaverit: amplio rem curam, firmiorem diligentiam vel dicam dilectionem atque laborem in quovis opere haud facile invenies. Libri *Familiae Romanae* virtutibus permultis abundant, cum novis rationibus docendi expedite accomodentur<sup>11</sup>, ad meditando s eos perplurima subsidia ubique reperiantur<sup>12</sup> atque exercentes eos uberrime ac opportune possint consuli<sup>13</sup>. Attamen non soli sunt et numerus librorum in quibus copia linguae Latinae fuse praebetur non potest exiguus iudicari: decernant praeceptores utrum libros scholasticos undecumque velint Latinos<sup>14</sup> an inter sermonem patrium ac Latinum versantes<sup>15</sup>.

De lectione denique illius fragmenti, praecipiendo m est ne sit ea talis qualis ad singula descendat atque in singulis commoretur verbatim progrediens ac membra fragmenti disgregata percurrens<sup>16</sup>, nimium undique linguam minimisque rebus inspiciens, sed eius naturae ut legentibus totius rei argumentum aperiat, collustret ac monstret, late atque in totum id percurrens<sup>17</sup>. Ad quem successum discentes ducentur, primum, si partes narrationis obscuriores aut novas, subtiliores aut intricatiores, non solum imaginibus explanamus sed rebus etiam adhibitis —quibuscumque ornamentis, fructibus, floribus aliisque hoc genus allatis— ac scaenis actionibusque multis peractis; tum, si modis dicendi utimur simplicioribus ad enodandas illas partes, perpetuo vero Latinis; denique, si rogata vel frequentia discentibus ponimus per quae cognitionem argumenti exploremus, temptemus atque continenter revocemus. Legatur igitur in schola fragmentum; legatur semel, bis, terve<sup>18</sup>; legatur domi a discipulis; legatur denuo in schola crastina atque in contigenti atque tali ratione legendi servata, principia nuperrime inchoata non decipiemus, cum siverimus discipulos Latina lingua familiariter uti eaque frui.

<sup>11</sup> Carbonell (2010: 89)

<sup>12</sup> <https://lingualatina-orberg.wikispaces.com/>

<sup>13</sup> Sumatur in manus liber “Nova via latine doceo” ([www.culturaclasica.com](http://www.culturaclasica.com)).

<sup>14</sup> <https://vivariumnovum.it/risorse-didattiche/pratica-didattica/libri-scolastici>

<sup>15</sup> Latín 1º Bachillerato (Oxford), Curso de Latín de Cambridge atque inter nostros Latín 4º ESO (ed. Almadraba) ab Elena Pingarrón confectus.

<sup>16</sup> Quam vocant periti linguarum lectionem ‘intentam’ vel *intensiva*.

<sup>17</sup> Est eius contraria quae vocetur ‘extensiva’.

<sup>18</sup> Bailey (2)

### 3.2. Rem tenere

Etenim perfecta lectione atque argumento fragmenti discipulis non solum patefacto sed contrito quoque ac decantato, tempus venit rei confirmandae, occasio scilicet argumenti strictim perstringendi atque in id singulari studio incumbendi. Quem ad finem exercitamenta diversa proponi possunt per quae discipuli non argumento solum, sed lingua utentur eam denuo legentes eamque audientes, eam etiam scribentes atque in praesenti sermone adhibentes. Indoles huius exercitiorum admodum dispar se praebet atque talis qualis fructum parere non desinat:

- rogata proponi possunt, quae non solum facultatem legendi discentium periclitantur sed facultatem scribendi etiam;
- sententiae afferri verae aut falsae a discentibus existimandae;
- partes fabulae –sententiae- sine ordine praeberi quas debeant discipuli in ordinem redigere (e.g.: Lupus cibum quaerit / Ovis errat / Lupus ovem capit / Pastor dormit/ Pastor plorat: 1. Pastor dormit; 2. Ovis errat; ...);
- sermones monstrari qui ad singulas personas fragmenti apponi debeant; (e.g.: “Ubi est ovis?” –pastor-; “Beeee” –ovis-; ...);
- sententiae e narratione excipi quae disiunctae ostenduntur quasque discentes coniungere debeant (e.g.: Ovis errat in campo nam → pastor dormit);
- fragmenta fabulae ostendi quorum argumentum debeant discipuli inter varia agnoscere (Quod argumentum magis convenit?: a. Pigritia pastoris; b. Audacia ovis; c. ...);
- responsa proponere ad quae debeant discipuli rogata fingere (e.g.: Ovis in silva erat –responsum- → “Dum pastor dormit, ubi erat ovis?” –rogatum-;

Exempla modo aliqua monstravimus quae ingenium docentium facile superabit, at hoc unum caveant solliciti praeceptores iique qui omnia exiliter atque religiose ad grammaticam revocant, quod una atque eminens est horum exercitiorum meta, videlicet ut discentes argumentum lectionis firmiter teneant.

### 3.3. Vocabula tractare

Opera dedita argumento, vocabula sequentur et iuncturae vocabulorum quibus exercitamenta haud dissimilia accedent. Est enim haec pars quae utrum ante rem

corroborandam aggrediari, an post eam, non multum distet, cum vocabula attingentibus res commemoretur, rei adsidentes vocabula negligere nequeant. Hic enim ad significationem vocabulorum animus vertetur, non ad formam eorum: diligenter igitur attendat praeceptor ut verba verborumque iuncturae vel formulae quam minime a contextu suo vel naturali usu alienatae vel dissipatae monstrentur. Ad hoc inter alia pertinebunt:

- nomina imponere datis imaginibus;
- vocabula idem significantia –synonyma- vel contraria apponere;
- vocabula definire latine, sive inversa ratione, dare ex definitionibus Latinis nomen (scilicet Latinum);
- res et actiones vinculare (e.g.: canis/lupa/gallus – latrare/ululare/cantare);
- res et qualitates coniungere (e.g.: lupus/aquila/ovis –ferox/celeris/timida);
- vocabula incongruentia sive minus ad notionem referentia agnoscere (e.g.: notio: ager; vocabula: ovis, pastor, ~~forum~~, lupus, herba);
- imagines describere, copia certa vocabulorum indita.

### 3.4. Grammaticam aggredi

Ad postremam partem exemplaris nostrae scholae ventum est, in qua parte praeceptores grammaticam aggredientur. Est enim haec inter virtutes vel praecipuas notas novarum rationum ad doctrinam linguarum attinentium, quod in linguam incumbere non valet grammaticae exiliter atque unice studere, sed potius, ut saepe iam iactatum est, vera monumenta linguae audire, legere, scribere, proferre. Ad quas facultates linguae amplificandas et concinnandas sunt nostris temporibus partes ac momentum grammaticae in incerto et in coniectura positae, atque ut res parum explorata et incomperta existamantur<sup>19</sup>. Nobis vero praeceptoribus in dominatum novarum rationum nuperrime cooptatis atque earum utique tironibus, lectiones grammaticae ex schola linguae Latinae funditus eradere eversio esset nimis magna nimisque fortasse gravis, excidium summopere severum inter exemplaria quibus sumus nos ipsi eruditi et ea ad quae sensim sine sensu scholas concinnare velimus, immo eius naturae ut nemo id

---

<sup>19</sup> Van Patten (2015: 48)



aut velit subire, aut necessarium iudicet<sup>20</sup>. Huc adde curricula nostrarum disciplinarum atque periculum universitatis gradus omnes omnesque ordines ad imaginem sui ordinans et disponens, et sane intelleges omnes religiones scrupulosque praeceptorum de ratione grammaticae Latinae considerantium. In medio igitur hae controversiae relinquuntur atque id tantum legentes perpendant, quem ad finem et ad quas facultates linguae grammatica reapse faciat, et utrum velint eam doctrinam priores, secundas, tertias an nullas agere partes in schola, modo sint sibi harum rerum probe conscii.

Interea vero via muniatur iis omnibus quibus doctrina grammaticae in partibus scholae quoquomodo numeratur, licet ii rationes novas docendi in schola stringant. Postquam enim opera est sedulo dedita variis exercitationibus ad argumentum vocabulaque pertinentibus, extrahat gramatica suum tempus discentibus atque animum eorum ad se attentum avertat. Quae res duas postulare rationes mihi videtur, quarum altera ad conscientiam grammaticae apud discipulos stimulandam<sup>21</sup> spectat, alteram vero ad exercitationem pertinere apparet. De priore illa ratione quae conscientiam discipulorum attingit<sup>22</sup> primum dicatur, qui modus grammaticae inchoandae eo tendit ut, primum, discentium animadversionem ad grammaticam aperte dirigat; deinde, ut discipuli ipsi quasi manu ducantur in regulis grammaticis sibi creandis atque describendis, ita ut illa vincula quae coniunguntur formae et significatus linguae eorum memoriae tenacius infingantur<sup>23</sup>.

Quod ut consequantur discipuli, ratio infra affertur secundum quam gradatim agi potest:

- exempla praebeantur varia unius formae vel structurae quae velimus discentes doceri eaque potissimum ex fragmento vel fabula extrahantur cui satis superque animum applicuimus (e.g.: Homines possunt natare; Pisces non possunt numerari, et alia exempla huius generis);
- talia exempla possunt protinus et integra dari, sive eo modo praeberi ut ipsi discipuli ex auditione vel sermone praeceptoris ea colligantur (e.g.: Audi et

---

<sup>20</sup> Mut (2017: 160)

<sup>21</sup> Ellis (2014: 11)

<sup>22</sup> Ricucci (2013: 24)

<sup>23</sup> Exempla huius rationis vel aperta sunt *lectiones grammaticae* in singulis capitulis libri exercitiorum ab Ørberg propositae.

imple sententias quae recitantur: homines possunt \_\_\_\_\_; pisces non possunt \_\_\_\_\_);

- tabella impleatur iis notitiis quae ex exemplis auditis extrahi possunt;
- rogata aliqua ponantur ad illam formam vel structuram strictim pertinentia (e.g.: quae est forma verbi quae scribitur post *possunt/potest?*);
- modica et aperta regula a discentibus describatur (e.g.: verbum Latinum *posse* infinitivum postulat).

Beneficia huius rationis grammaticae docendae eximie amplificantur, primum si uni rei, formae vel structurae peculiariter atque singulatim opera navatur<sup>24</sup>, deinde si res traditur in eadem cui innitimur<sup>25</sup> lingua, scilicet Latina: est enim explanatio grammaticae atque eloquentia praeceptoris de grammatica loquentis copia linguae vera atque nihilo discentibus praetermittenda quippe utilis atque in eorum facultate augenda admodum frugifera. Ducta a discentibus regula, tempus exercitationis sequitur atque suas habet partes: verum etiam in hac re rationes agendi diversae atque coniecturae variae, cumprimis duae, altera in animadversione formarum discentes constricta atque quae earum cognitionem unice exerceret —quem ad finem et simplicia exercitia vel trallaticio more proposita spem praeceptoris non fallent (e.g., structuras vel formas e fragmento colligere atque in indicem quemdam redigere)—, altera quae observationem et accuratorem discentium affectet in creandis ac emendandis formis et structuris, ad quam metam facient inter alias eius modi exercitationes:

- Desinentias perficere in vocabulis datis;
- Errores emendare in sententiis;
- Vocabula minus congruentia ex serie data excludere;
- Diversae formulae conversionis quae diligentia grammaticorum multos per annos excogitavit ut sunt ex numero singulari ad pluralem formas vertere; ex sermone activo ad passivum sententias commutare et alia hoc genus.

Quibus exercitiis propositis, hanc unam cautionem adhibeant praeceptores, ut fugiant expectare fore ut observatio grammaticae, quae in eius naturae exercitationibus a discentibus postulatur, ea quoque ad eorum sermones praesentes continuo transferatur

<sup>24</sup> Ellis (2014: 12)

<sup>25</sup> Krashen (2013: 8)

atque in iis exigatur: exercitatio grammaticae non promittit eloquentiam, sed in sola diligentia sermonis praeparati imperium suum habere videtur<sup>26</sup>.

#### 4. Clausula

Quod in animo et mente initio conceperamus, id ad finem exactum ducimus. Ne exspectentur ex his versiculis inusitata consilia vel res novae quas secuti praeceptores ad successum doctrinae vestigio duci possint, sed simplicissima quaedam atque pervia praecepta quae ex experientia rerum atque annorum nascuntur quaeque fulcrum apponere possunt scholae Latinae iuxta novas rationes docendi inchoatae.

#### 5. Index librorum

ALCALDE DIOSDADO A. (2000). La necesidad de renovación didáctica de las lenguas clásicas. Una nueva propuesta metodológica. *Estudios Clásicos* 118, 95-131.

CARBONELL MARTÍNEZ S. (2010). La crisis del griego antiguo y los métodos antidepressivos. *Estudios Clásicos* 137, 85-95.

ELLIS R. (2014). Grammar Teaching for Language Learning. *Babylonia: the journal of language teaching and learning* 2, 10-14.

KRASHEN A. (2013). *Second Language Acquisition. Theory, Applications and some coniectures*. Mexico: Cambridge University Press.

MUT I ARBÓS J. (2017). En torno a la didáctica de las lenguas clásicas: qué, cómo y para qué. *Estudios Clásicos* 151, 157-177.

RICUCCI M. (2013). Al conspetto di Theuth. *Understanding Reading. Tra note teoriche e tecniche didattiche*. *Thamyris* 4, 11-32.

VAN PATTEN B. et BENATI A. (2015). *Key Terms in Second Language Acquisition*. New York: Bloomsbury.

#### 6. Index retialis

BAILEY J. S. (2014). Pre-reading and three Reading. *Indwelling Language* (<http://indwellinglanguage.com/pre-reading-three-reading/>)

---

<sup>26</sup> Ellis (2014: 11)

BAILEY J.S. (2016). Teaching latin to humans: how to honor both the language and the learner. Eidolon (<https://eidolon.pub/teaching-latin-to-humans-4e6b489b4e17>).

PATRICK R. (2011). Latin is not different. Salvi Board Summit ([http://www.mygrove.us/uploads/8/1/2/6/8126375/latin\\_is\\_not\\_different\\_patrick\\_20111.pdf](http://www.mygrove.us/uploads/8/1/2/6/8126375/latin_is_not_different_patrick_20111.pdf)).